De Symmachi epistularum codice Parisino

Oktavius Clason

(Symmachus)
Clason



DE

SYMMACHI EPISTVLARVM CODICE PARISINO.

SPECIMEN PRIVS.

DISSERTATIO PHILOLOGICA

QVAM

AD SVMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES
AVCTORITATE AMPLISSIMI PHILOSOPHORVM ORDINIS
IN ACADEMIA FRIDERICIA GVILELMIA RHENANA
RITE IMPETRANDOS

SCRIPSIT

ET VNA CVM SENTENTIIS CONTROVERSIS

A. D. VI. ID. AVG. A. MDCCCLXVII.

PVBLICE DEFENDET

OCTAVIVS CLASON


RHENANVS.

ADVERSARII ERVNT:

DR. AVGVSTINVS FVERTH
DR. ERNESTVS LVENZNER
DR. AEMILIVS BOHREN

BONNAE

TYPIS CAROLI GEORGI.



PATRI SACRVM

Symmachi epistulas cum nuper pertractarem, in editionibus commentariisque fundamentum criticae in illo exercendae non satis firmum positum esse satis intellexi, quod idem, quicunque in ea re uersati sunt, sic se habere affirmant [1]). Itaque Parisiis quoniam non ignorabam aliquot codices Symmachianos asseruari, in quibus unum esse antiquum eumque non collatum, eo profectus in Bibliotheca Imperiali librum illum accurate excussi. Quo facto, postquam uarias quae in editionibus proferuntur scripturas congessi, materiam, de qua disseram, sic disponam, ut in prima particula, quae codicis Parisini sit ratio et condicio, ostendam, in altera et de secernendis bonis prauisque libris, et de codice Parisino, quibus rebus inter ceteros emineat, et de restituendis aliquot locis, quos omnes libri deprauatos tradiderunt, disputem, in tertia denique particula codicis Parisini collationem edam.

---

1) De Symmachi epistularum codicibus et editionibus uide H. Susii prolegomena in Symmachum in I. Gurlitt. animaduersionum in auctores ueteres particula V; E. Morin. études sur Symmaque p. 80 sqq.; Bernhardy: Römische Litteraturgeschichte, 4. Bearbeitung, p. 787.

I.

Codex Parisinus, quem P uocabo, numero 8623 notatus, membranaceus saeculi X est, Langobardicis litteris exaratus. Incipit I. 52 uerbis: »tam bone uoluntatis«; desinit VIII. 41 post uerba: »scissa ueste fugisti«; folia CXII quadrata habet, quorum paginae in binas columnas diuiduntur; posteriora folia mutila sunt; ceterum plenissimus est. Librorum et epistularum inscriptiones et primae quaeque epistularum litterae maiusculis, quas dicunt, scriptae sunt, ex quibus litterae ab initio epistularum positae et inscriptionum aliquot erasae ac rubro atramento iterum esse depictae uidentur. Variis temporibus recognitum et correctum esse librum apparet, quia plures in eo manus discernuntur, quibus multa aut emendata aut corrupta sunt. Harum autem tres potissimum distinxi: primam iisdem scripturae formis atque ipsius codicis scriptam, alteram fere aequalem, nisi quod aliam interdum litterarum a, g, h, i, u speciem et compendium uocis »est« ostendit; tertia denique saeculi XIII uel XIV uidetur esse, a qua perpauca haec profecta inueni: II. 48: humor in margine additum; V. 74: iniunxisti ut inter lineas scriptum; VI. 6: quia in margine appositum.

Ipsae hae correctiones a certis codicibus repeti non possunt, sed plerumque uulgatam lectionem restituunt, ita quidem, ut et ueteres uerborum formas, quae semper in P seruantur, saepe in recentiores mutent, et, si quod uerbum male in uersus fine secretum est, corrigant et erasas litteras et syllabas expleant, et pusillos istos librariorum errores emendent. Variae quoque lectiones ab illarum aliqua

manu additae sunt; interdum etiam lacunae longiores in margine explentur. In ipsis rasuris nonnunquam prioris lectionis uestigia discerni possunt. Aliter uero comparati illi loci sunt, in quibus uacuum spatium, quod nunquam corrector expleuerat, in sermone relictum erat. Id tum factum esse puto, cum in archetypo aliquid minus clare scriptum a scriba legi non posset, qui, ne falsa depingeret, locum omisit eiusque spatium uacuum reliquit. Talia in posteriore saepius quam in priore codicis parte reperiuntur, cuius rei exempla VII. 76, 94, aliaque in tertia huius dissertationis parte ostenduntur.

Erroribus negligentia et inscitia factis, qui ubique in libris manuscriptis inueniuntur, P non caret; uel lacunas in eo esse supra commemoraui, quarum grauissimas enumerabo.

II. 17 deest: »mittere hanc ego impensius tibi uoto optare studeo quam«; ab altera, ut uidetur, manu in margine additum est.

II. 35 deest: »quod mihi librarii error«; in margine ascriptum est.

III. 25 deest: »tui in fastigium tolleremus amabili enim«; ab altera manu additum.

III. 91 deest: »in aperto est merito eius laudibus nostrum cedit«; ab altera manu additum.

V. 74 deest: »iniunxisti ut« a tertia manu ascriptum.

VI. 43 deest: »uestram seruare temptauimus sed perseuerante inedia« a manu prima uel secunda additum.

VII. 1 deest: »simul accipe quod uoto tuo congruit fasces praeturae« a manu prima additum.

VII. 14 deest: »ueneratusque dominum et principem nostrum cuius sermo diuinus itineris« a prima uel altera manu additum.

Praeterea lacunas a manu posteriore non expletas has affero:

I. 83 deest: »uelim credas infortunii fuisse non uoluntatis quod diu«.

IV. 23 deest: »praeuentus officio«.

IV. 25 deest: »uigorem languere et«.

IV. 68 deest: »meae petitioni et«.

VI. 36 deest: »ab agente in rebus«.

Iam de orthographia, quam uocant, nonnulla subiungam. Vetusta scriptura paucis exceptis in P seruatur, ad quam rem demonstrandam singula illustrabo.

Illud quidem grauius non est, e et ae saepissime misceri, quod toto medio aeuo fiebat. Id uero nonnunquam accidit, ut contra scripturam uulgatam et secundum archaismum, quem uocant, bonamque scribendi rationem e pro i ponatur; sic semper »intellego, intellegere« aliaque eius modi. Tum accusatiuus pluralis tertiae declinationis saepe in is terminatur, quod etiam in nominatiuo [1]) fieri haec exempla docebunt:

I. 56: »breuis litterae demunt fastidium«.
II. 38: »terga dederint insolentis«.
II. 57: »ne omitterentur absentis«.
III. 35: »opem desiderantis«.
IV. 28: »nunc grauis quoque anni«.
IV. 62: »summatis Anthiocensium«.

— i pro ii [2]) in uerbi iacio compositis plerumque legitur, ut conice, reice, adicio, alia; nunquam i pro y neque inuicem. y pro u non inuenitur nisi in nomine proprio Bryttios pro Bruttios; et uix unquam u pro y. — o pro u rarissime: rauolas pro rabulas; non u pro o, neque uo pro uu. — u pro b et inuicem saepissime reperitur. — h modo ponitur, modo omittitur; sic Orus pro Horus; ortatio pro hortatio; habeo pro aueo. — qu pro c interdum mihi occurrit: III, 3 et VI. 52: quoram pro coram; tum dequoquere pro decoquere: c pro eo quod plerumque qu in cottidie, se-

---

1) cf. Bücheler. Grundriss der lateinischen Declination p. 15; Lachmann in Lucret. comm. p. 56.

2) de omnibus his rebus uide: Corssen: Aussprache und Vocalismus cett. I. 54. 260. A. Fleckeisen: epist. crit. p. 10; Ritschl: prolegom. ad Plauti Trinumm. p. CXIV, praefat. ad Stichum p. 16.

cuntur, secutus; — nunquam c pro d in *uerbis* quidquam, nequidquam legitur, quamquam alia manus saepissime sic mutat. — d et t non raro miscentur; sic haud pro aut et inuicem; at pro ad. — t pro c rarissime nec nisi in uoce sotius reperi, neque saepius c pro t; ceterum talibus in uoculis semper uetusta forma in t seruatur; — f pro ph quibusdam in uocibus: strofis, Delfis, apoforeta, syngrafus; nunquam filosofus; neque ph pro f. — K adhuc in Kalendae retinetur. — Litterae consonantes saepe iterantur, ut repperi, quaerella, cottidie, immo, sed ilico. — semper uetustior forma in iens pro ea, quae est ies, adhibita est: quotiens; praeterea nanctus non nactus (V. 38). — s cum ec praepositione plerumque *coaluit in* x, ut in exortem, exequi, exequendus, existere. — urguere quoque pro urgere in omnibus uerbi modis ac temporibus semper reperitur.

Magis etiam archaismum, qui dicitur, uerba exhibent cum praepositionibus composita, in quibus semper praepositio sine assimulatione ad uerbum annectitur, uelut conpendium, adstipulor, inlustris.

Compendia uerborum, syllabarum, litterarum, uti semper inueniuntur, ita etiam in hoc codice sunt.

Grauius est, quod ex multis locis apparet, archetypum libri P continuis uerbis scriptum fuisse, unde multi in secernendis uocibus errores facti sunt. Cuius rei nonnulla, quae codici P propria sunt, exempla proferam:

I. 60: »in quem uisu sum« pro »in quemuis usum«.

III. 87: »annos aemilitiae« pro »anosae militiae«.

IV. 8: »etolo sericarum« pro »et *holosericarum*«.

V. 36: »archi atribulanditiis« pro »archiatri blanditiis«.

VI. 81: »exasperata nimiūm alegesta« pro »exasperat animum male gesta«.

De epistularum inscriptionibus restat, ut pauca dicam. Quae saepe pleniores uel magis decurtatae ab usitata atque uulgata forma recedunt, uelut in libro II semper plena formula: »Symmachus Flauiano fratri« est, cum per reliquos librōs saepe pro »Symmachus Protadio«, ut exemplum affe-

ram, hoc solum scribatur: »Ad Protadium«. Id uero in primis animaduertendum est, omnes sexti libri inscriptiones sic esse comparatas: »Symmachus Nichomachis filiis« non ut in editionibus »Symmachus Nichomachi filiis«.

Postremo hoc commemorandum est, nonnullas in hoc codice epistulas alio loco, quam in editionibus legi. Sunt autem hae: IV. 7, quae libri P IV. 4 est, quam uulgatae IV. 4. 5. 6 secuntur; VII. 87, quae in P VII. 85 est, sequentibus uulgatis VII. 85. 86.

II.

Quomodo comparatum codicem P inuenerim, postquam in proximis exposui, nunc de ceteris libris, quorum lectiones in editionibus commentariisque innotuerunt, pauca proponam.

Atque hic quidem eorum est index:

I. quibus Iuretus in editione priore usus est:

1. D, codex St. Benigni Diuionensis qualis fuerit, satis perspicitur, cum eo fere uno nisus sit Iuretus. Incipit ab initio primi libri; desinit post libri X. ep. XV; non est integer, sed in plerisque libris epistulae nonnullae omittuntur.

2. p^1, codex Petri Pithaei ex paucissimis tantum annotationibus editioni ascriptis cognoscitur.

II. quos Lectius in editionibus adhibuit, sed rarissime laudauit:

3. C, codex Cuiacianus,

4. p^2, codex Pithaeanus Lectii,

5. V, codex Vouueranus,

9. c, codex Coluianus.

III. quorum Iuretus in editione altera nonnunquam mentionem fecit praeter illos, quos supra commemoraui:

7. p^3, codex (uel codices) Francisci Pithaei.

8. d, codex Danielis.

IV. libri Scioppii:

9. F, codex Fuldanus, Scioppianus optimus; forma litterarum partim uetus Romana, partim Langobardica est. Incipit ab initio libri primi, desinit post V. ep. 29, ubi legitur: »Hic incipit Hazo«. Ceterum integer fuisse uidetur, quamquam non magna ex eo uariarum scripturarum copia in promptu est. Videtur ex archetypo continuis uerbis exarato descriptus fuisse.

10. B, codex Bessarionis uel Giphanii, Langobardicis litteris scriptus lacunosus non fuisse uidetur; ex quo maiorem lectionum copiam Scioppius profert. Ipse quoque ex archetypo continuis uerbis scripto deriuatus fuisse perhibetur.

11. b, codex Bertinianus, inferior quam F et B, at plenissimus est.

12. u, uu, codices Vaticani duo, inferioris notae sunt.

V. quo Carrio [1]) usus est:

13. h. codex Carrionis.

VI. quo Salmasius [2]) usus est:

14. R. codex Regius.

II 1.

Iam uero de secernendis bonis prauisque codicibus dicturus, priusquam ad ipsam rem tractandam accedam id commemoratum uolo, non certum de illis libris, quorum exiguam tantum scripturarum copiam habeamus, posse iudicium fieri, cum non ea sit editionum ueterum ratio et condicio, ut ex silentio quicquam colligere liceat. Itaque de P. F. B. D. potissimum, qui maxime innotuerunt, disserendum mihi erit, cum reliquos, nisi ubi scripturae eorum ad locos, quos tractabo, ascriptae sint, non commemorabo.

Consentiunt praeter ceteros PFB his locis in uera lectione:

III. 4. PFB: »minus est enim necessitate officium deserere, quam uoluntate praepropera iudicare«.

D: ». . . quam uoluntate propere iudicare«.

uett. editt.: ». . . quam uoluntate propria iudicare«.

---

1) cf. Ludouici Carrionis obseruationum et emendationum libros II; Antwerpiae 1583 (in Gruteri lampade q. s.).

2) cf. Cl. Salmasii exercitt. Plin. in Solini polyhist. p. 43. a. F; 50. b. D. E; 176. b. D.

II. 32. PFBb: »me ex *uero non ad gratiam* meam loqui«.

C: »me *ex uero non ad gloriam* meam loqui«.

D: »me *uero ad gloriam* meam loqui«.

uu: »me *uero ad gratiam* meam loqui«.

Ibidem. PFB: »*ex illius opere* respiro«.

D: »*ex illius ope* respiro«.

uett. editt.: »*illius ope* respiro«.

III. 12. PFB: »quin ergo eluctatus longi ocii cariem *Caelium* nostrum *reuisas. sat temporis* (P: *satemporis*) *Spoletium dato* bonae urbi« (cuius pars inferior sic a Iureto emendata est: »sat temporis *Spoletio datum* bonae q. s.«).

C: »*caelum* nostrum *reuisas sat te temporis Spoletium da te* bonae urbi«.

D: »*caelum* nostrum *seuis assa temporis Spoletium dato* bonae urbi«.

I. 80. PFB: »ego pro tui amore *ueniam* non grauabor«.

D uett. editt.: »ego pro tui amore *ueniam dare* non grauabor«.

Verae proximam lectioni iidem tres codices hoc loco praebent:

III. 17. PFB: »sit inter nos frequens *honestius* officii«, a Modio correctum: »*honos istius* officii«.

D: ». . . frequens *honestas* officii«.

uett. editt.: ». . . frequens *honor* officii«.

P autem et F una bonam lectionem praebent his locis, ubi B aut deficit, aut cum ceteris corruptus est:

I. 59. PF: »placet hortatio *inuitatrix* religionis«.

D editt. uett.: »placet hortatio *imitatrix* religionis«.

II. 1. PFbuu: »hic est ille Paralius, cui *accusator* pater, quantum discriminis mouit, tantum *laudis* parauit«.

B: . . . . »tantum *absoluto* laudis parauit«.

D editt. uett.: ». . . cui *accusato* pater quantum . . . . . tantum *absoluto* laudis parauit«.

Iidem PF, quamquam contaminati, uestigia tamen uerae lectionis soli hoc loco ostendunt:

I. 58. PF: »aut quis uua aestiuo sole de nemore et fonte frigescit?« quod a Scioppio sic restitutum est: »aut qui sub aestiuo sole q. s.« (de causa et ratione mutandi uide Scioppium in suspectis lectionibus III. 17).

BDb editt. uett.: »aut qui sub uua aestiuo sole q. s.«

P et B, deficiente codice F, his multis locis in bonam partem consentiunt:

II. 66. PB: »ut quod debemus generi, tribuamus promptius aequitati«.

D editt. uett.: »ut quod debemus tribuamus prompti aequitati«.

II. 69. PB: »ita si defit causa longioris adloquii seriem paginae stringo compendio«.

D editt. uett.: ». . . causa longioris adloquii (sequitur lacuna) paginae stringo compendio«.

II. 86. PB: »et speciatim cum carissimis ut solebas«.

D editt. uett.: »et speciatim cum le (sequitur lacuna) ut solebas«.

III. 69. PB: »quae causa poscit allego, sciens sine tua auctoritate commissa q. s.«.

D editt. uett: ». . . sciens tua auctoritate commissa«.

VI. 7. PB: »nam et fractam ualetudinem meam nostis, et unici mei solitudinem contemplamini, et eruptiones fluminum . . . . . comperistis«. (Haec uocis »unicus« usurpatio apud Symmachum usitata est, id quod haec exempla docebunt: IV. 20: »nec imperari potest unico labor«; V. 68: »ad haec etiam meum Symmachum . . . . quamquam unicum cohortabor«; VII. 21: »mea atque unici tui sanitas uiget«.)

D editt. uett.: ». . . . et unici mei solitudinem et eruptiones q. s.«

VII. 20. PB: »ut potero uerbis honorem loco faciam«.

D editt. »ut potero honorem uerbis faciam«.

VII. 115. PB: »frui commoda cum meis ualetudine«.

D editt.: »frui commoda cum mei ualetudine«.

VI. 22. PB: »legationis ambitus nequiorem facem subdidit«.

D editt.: ». . . nequiorem facere subdidit«.

IV. 31. PB: »sed unde mihi optare tantum«.

D editt. uett.: »sed unum mihi optare q. s.«

VI. 64. PB: »ut feruor oculorum tuorum cum cetero onere decederet«.

D editt. uett.: »ut fluor oculorum q. s.« (in codice P ab alia manu scriptum »fluor« in margine inueni.)

Paulo infra: PB: »an praedicta curatio efficax fuerit, nec subegerit causa etiam sanguinis emissione uenas iuuari«.

D editt. uett.: »nec ne: an subegerit q. s.« (hoc »ne: an« in P ascriptum est in margine ab alia manu.)

VII. 81. PB: »postquam te sibi resp̃. uindicauit« (P sic: »respũ indicauit«).

p²: »postquam te sibi reip̃. uindicauit«.

D editt. uett.: »postquam te sibi praefectum indicauit«.

VII. 85. CPB: »Et mei circa te propositi ratio poposcit, ut scriberem q. s.«

D editt. uett.: »T mei circa te poposcit, ut scriberem q. s.«

VII. 16: PBu: »sed nimium quantum auarus es«.

D: »sed nimium inquam auarus es«.

p¹: »sed nimium miror quantum auarus es!«

uett. editt.: »sed quantum auarus es!«

F et B denique ceteris omnibus integriores sunt his locis:

I. 1: FBu: »quare elaboratam solocĩ filo accipe cantilenam«.

d: . . . »elaboratam filo solatii accipe q. s.«

D editt. uett.: . . . »elaboratam filio solatii accipe cantilenam«.

I. 4. FBb: »quod haec aeque sobria, nec tamen casta sunt«; Scioppius recte »casca« mutauit.

h edit. Lectii: »nec tamen castigata sunt«.

I. 64. FB: »Euenit ea tempestate, ut etiam fisci depositum raperetur«.

P: ». . . ut etiam fitei depositum q. s.«

D: editt. uett.: »ut etiam fidei depositum q. s.«

F ceteris praestat his locis:

I. 47. F: »sed dum tibi legis tibi scribis«.

BD editt. uett.: »sed dum tibi leges scribis«.

I. 3. F: »ne sobriam solitudinem nostram sodalitas plebeia fuscaret«.

B: ». . . sordiditas plebeia q. s.«

h edit. Lectii: »solitas plebeia«.

Ibidem. F: »fors fuat huiusce promissi«.

Bh edit. Lectii: »fruar huiusce promissi«.

I. 14. FCb: »Aegyptio Melone maiorem«.

BD editt. uett.: »Aegyptio Nilo maiorem«.

I. 4. F: »tu rutuuam proximae aetatis inluminas«. »rutuuam« illud Scioppius ex uoce Varroniana [1]) »rutubam« factum esse affirmat.

p[3]: »tu ruinam proximae aetatis«.

Bh edit. Lectii: »tu uiros proximae q. s.«

Ibidem. F: »illa bono metallo cusa turno exigi nescierunt«; a Scioppio »cusa torno« correctum est.

B: ». . . cusa a turno q. s.«

h. edit. Lectii: ». . . cusa a Saturno q. s.«

I. 53. F: »nisi forte in siluis Apollinem continaris« (pro »continuaris«);

P: ». . . Apollinem contionaris«.

BDb editt. uett.: »Apollinem concionaris«.

IV. 44: FP: »me in siluis Laurentibus continatus est« (pro »continuatus«).

BDb editt. uett.: ». . . . concinatus est«.

B denique aliis excellit his locis:

I. 13. B: »bonus Nerua, Traianus strenuus, Pius innocens, Marcus plenus officii temporibus adiuti sunt«.

D: ». . . . Traianus strunuus Pius q. s.«

F: ». . . . Traianus Antoninus pius strenuus innocens Marcus q. s.«

---

1) cf. Nonium 167. 7.

C: ». . . . Traianus Antoninus pius innocens Marcus philosophus suis temporibus q. s.«

I. 7. B p^2: »dum anni tempus calet«.

edit. Lectii: »dum animi tempus calet«.

Ibidem. Bp^2: »nam comitibus uestris utpote sobriis caedundae (p^2: caedendae) saginae cura posterior est; quousque longius loquor?«

edit. Lectii: »nam comitibus meis utpote quousque longius loquor?«

I. 1. B: »qui maioribus eminet ra uerba libauimus«; a Scioppio recte mutatum est »emmetra uerba«.

d: »eminet rara uerba«.

D: »eminet pauca uerba«.

Ibidem. B: »ut uerecunde innoscadet ab altero profecta laudatio«; a Scioppio sic correctum est: »ut uerecunde in nos cadat ab altero q. s.«

F: »ut uerecunde ignoscat et ab altero q. s.«

Duu uett. editt.: »ut uerecundiae ignoscat si esset ab altero q. s.«.

I. 2. B: »sed praeteritis Roma aut Athenesi in Graecum loquendi honorem huiusmodi lingua uertatur«; quod Susius (l. l. III) sic in integrum restituit: »sed prae ceteris Roma aut Athenae si in Graecum q. s.«

F: »sed praeteritis Roma aut Athenis si in Graecum q. s.«

D editt. uulg.: »sed praeteritis Roma aut Athenis in Graecum q. s.«

Quae omnia cum ita sint, PFB bonos dicere codices, quibus summa fides habenda sit, non iam dubito, deprauatum D, qui et interpolationibus et erroribus uariis scatet. Illorum uero trium B inferiorem quam F dixerim, id quod iam Scioppius testatus est (cf. praefationem ad eius artem criticam). P autem, de quo fusius mox dicturus sum, aut aequalis codici F, aut superior etiam habendus est. Ceteros codices, quamquam praetermisimus, tamen, si quis lectiones eorum in editionibus seruatas considerauerit, corrupto eos generi omnino esse attribuendos non negabit.

II 2.

Iam uero P quoniam uidimus optimis esse adnumerandum, nunc quibus rebus etiam integriores superet, cum ipse contulerim, et uberius exponere et affirmare certius possum. Atque haec quidem esse praemittenda putaui, multos esse locos, quos in ceteris libris corruptos iam pridem uiri docti coniectura emendauerunt, quos P ipsis illis coniecturis congruentes nunc demum exhibet, ita ut omnis de talibus scripturis dubitatio sublata sit. Neque uero aliis lectionibus caret, quibus, quam antea nullus, neque codex ostenderat, neque uir doctus inuenerat, medicinam adhibet. Sunt praeterea loci, quos non quidem omnino ad pristinam rectamque rationem redigit, neque uero tam mutilos ac deprauatos, quam reliqui, tradit; quare illi in restituendis huius modi locis summam habeamus fidem necesse est. Sed hos, quoniam coniecturis magis ansam dant, non hoc loco, sed secundum quem institui disputandi ordinem infra tractabo.

Quae postquam praefatus sum, iam, quos locos unus P sanos bonosque seruauit, proponam:

IV. 48. P: »erit iustitiae et benignitatis tuae in fauorem cũ (hoc est »clarissimi uiri«) diuinum prouocare iudicium«.

F: ». . . in fauorem C̄N̄ diuinum q. s.«

B: ». . . in fauore m d i uinum q. s.«

D editt. uett.: »in fauorem c u m e o diuinum q. s.«

editt. Iur. II Sciopp.: »in n o s t r u m fauorem diuinum q. s.« Scioppius praeterea, codicis F fidem secutus, C. F. hoc est: »c l a r i s s i m a e f e m i n a e« scribere uoluit.

VI. 76. P: »nam quae ex a m o r e fiunt, etiam gratuita delectant«.

editt. reliqui codices: »nam quae e x m o r e fiunt q. s.« At quanto codicis P lectio alteri praestet, ipsa loci sententia docet.

III. 81. P: »tu uero sub hac p a c t i o n e, dum uoles, retice«.

BDuu editt. Iur. I. II. Lectii Scioppii: »tu uero sub hac petitione, dum uoles, retice«.

b editt. Schott. Froben: »tu uero sub hac conditione, dum uoles, retice«.

»pactione« librarii errore in »petitione« mutatum postea glossa quadam »conditione« e uerborum ordine sublatum est.

V. 98. P: »si conditio temporalis mei sineret, uotis me tuis etiam non rogatus ingererem«.

D editt. uett.: »si conditio temporis mei sineret q. s.«

editt. Iuret. II. Sciopp.: »si conditio temporis sineret q. s.« uox »temporalis« in P scripta ab alia manu in »temporis« ita mutata est, ut litterae »ali« prope erasae sint et uix legi possint.

I. 64. P: »misera et acerba conditio nisi iustitiam temporum Clementis cura mouisset«.

D editt. uett.: ». . . nisi iustitiam tempore Clementis q. s.«

Scioppius mendosos esse suos codices testatur, in quibus »iustitiam« an »tristitiam« sit, discernere se non posse affirmat, quare cum Iureto in altera editione sic edidit: »nisi tristitiam temporum Clementis cura molliuisset«.

Voce »tempus« uel »tempora« ne quis offendatur sic pro »tempus praesens« adhibita, haec addo exempla: III. 43: »debebatur hoc teneris temporum bonis«; III. 45: »aequitati temporum«; III. 11: »usus temporis«; IV. 19: »temporis humanitas«; IV. 51: »temporum gloria«; IV. 56: »ignoscendum pro statu temporis«; IV. 67: »temporum clementia«; multa alia eiusmodi.

IV. 7. P: »est quidem rectori nostro . . . . . . omnium uirtutum cursu prompta natura«.

FB: ». . . omnium uirtutum cursum prompta natura«.

D editt.: ». . . omnium uirtutum prompta natura«.

Lectioni codicis P primas partes tribuendas esse ex eo iam perspicitur, quod nulla, qua restituatur, mutatione eget, cum uocis »promptus« ista constructio aliis exemplis comprobari possit et his: Liv. IV. 3: »promptus ingenio«; II. 56: »aetatis eius haud quisquam manu promptior

erat«; II. 45: »lingua promptus«; Tac. annal. I. 11: »promptus animo«; I. 57: »promptus audacia« hist. II. 86: »sermone promptus«.

Hi sunt loci, quos unus P emendatos praebet; nunc quos congruentes cum uirorum doctorum coniecturis exhibet breuiter enumerabo:

VI. 40. P: »itaque palmata amictus et consulari insignis ornatu fracto crure sublatus est«; quod Sirmondus coniecerat.

ceteri libri et editt.: ». . . et consularis insignis q. s.«

VII. 26. P: »Audeo te in agrum Lauinatem meum post Tiburtes rogare delicias«; alia Sirmondi coniectura est.

libri uulgati: »Gaudeo te q. s.«

VII. 47. P: »De me tunc aliena quaerenda sunt, cum propria aduersa requieuerint.«

uu: ». . . aduersa quieuerint«.

libri uulgati et editt.: ». . . aduersari quieuerint«. Lectius uero, quod P ostendit, iam pridem inuenerat.

II. 23. P: »sed quid promouet ista conquestio«? haec Lectius coniecerat. cett. libri et editt.: »sed quid promouet ista confessio«?

III. 88. P: »nam quid excogitari facetius potuit, quam ut Caelii montis habitator aduenticiis litteris Romae cognoscerem«; haec Iuretus in edit. II ex coniectura sic ediderat.

FBbuu reliqui: ». . . quamuis Caelii montis q. s.«

II. 45. P: »qui deum beneficio potiuntur optatis q. s.«

D editt. uett.: »qui domini beneficio q. s.«

B: »quid cum beneficio q. s.« haec codicis B lectio a Scioppio congruenter cum codice P restituta est.

II. 18. P: »ut tibi non desit patientia, si illi modus defuit«; hoc iam a Scioppio correctum erat, cum ceteri libri et editiones haec ostenderent: ». . . si ulli modus defuit«.

I. 73. P: »si quid mihi tribuis, uelim credas; si haeret animus, hortor examines«.

libri omnes, editt. uett.: ». . . uelim credas; si haec

haeret animus q. s.« redundare »haec« illud et inepte in uerborum ordinem insertum esse Scioppius intellexerat.

Quibus rebus ita compositis nonnullos appono locos, in quibus deteriorum codicum unus uel alter iam pridem bonam lectionem ostenderat, quam nunc demum P comprobat; sunt uero hi loci:

IV. 19. P p[3]: »Flauianus uir inlustris commune pignus« (in utroque libro legitur: »uir inl.«, in P »l« partim erasum est ab alia manu).

FBDbuu editt. uett.: »Flauianus uir in commune pignus«.

VII. 114. P p[3]: »nos in patriae salo uiuimus«.

edit. Schott.: »in patriae solo«.

libri et editt. uett.: »in patrio solo«.

II. 59. P et Iureti quidam codex: »nam certe iusto diutius afuisti«.

libri et editt.: ». . . . diutius affuisti«.

I. 77. PD: »huic per impressionem nequaquam patior a fratris sui liberis tutelae munus imponi«.

FB: ». . . patior fratris sui liberis q. s.« editt. omnes: »patior fratris sui liberorum tutelae q. s.«

I. 61. Pp[1]: »semper illud putat imminere quod timuit«.

D editt.: ». . . quod tenuit«.

uu: »semper illud putas imminere, quod tenuisti«.

Sufficiunt haec, quibus praeclara P libri integritas cognoscatur.

II 3.

P igitur quoniam cognouimus plerosque libros et ipsos ceterorum optimos his locis superare, de iis nunc disserendum est, quos cuncti codices corruptos tradunt. Hic primum locum eae scripturae occupant, quas P meliores atque uerae

propiores ceteris exhibet. Tres uero iis ipsis praepono, quae a reliquis quidem omnibus libris corruptae interpolatione seruantur, a P sine interpolatione nec tamen sine uitiis ostenduntur.

Atque in restituendis his locis duplex uia persequenda est, altera ut, quae perperam et a glossatore in sermonem illata sunt, cognoscamus, cognita expellamus, altera ut errores inscitia uel socordia librariorum factos corrigamus et ad pristinam rationem redigamus.

Inde ad ipsos locos tractandos accedamus:

II. 22. D editt. Iureti I Lectii Schotti Frobenii: »Sperassem iamdiu corpusculi mei ualetudinem, si frui agrorum salubritatem potuissem«.

Bb editt. Iur. II Sciopp. Par. Wingend.: »Reparassem iamdiu corpusculi mei ualetudinem q. s.«

P: »Reparationem (lacuna X fere litterarum) iamdiu corpusculi mei ualetudinem q. s.«

Quid in codicis P lacuna lateat, incertum est, non tamen ita ut suspicionem fugiat; librarius enim in archetypo uerbum haud facile ad legendum procul dubio inuenerat, cuius in uersu spatium uacuum reliquit. Quod sane quam religiose abhorruerit ab interpolandi studio comprobat, cum facile fuerit excogitare aliquid, quale »cogitassem« est. Iam uero quaeritur, cui harum lectionum palma tribuenda sit; quam esse codicis P affirmare haud dubito, nam neque »sperassem«, neque »reparassem« obscuri aliquid habet, quo glossema ortum sit, cum truncata lectio, quam ab archetypis P acceperat, multo magis commentandi uel interpolandi animum ad se alliciat, ita ut ceterae scripturae ex ea originem habere potuerint. Quae cum ita sint, equidem censeo, ad archetypi lectionem minus perspicue scriptam ab interprete duplicem interpretationem esse additam: »reparassem ualetudinem« et »sperassem ualetudinem«, quae in ceteris codicibus leguntur. Nam quis est quin uideat, si »reparationem« illud retinuerimus, »ualetudinem« redundaturum esse? Itaque, quas dixi lectiones ad genuinam archetypi ascriptas esse, ex iis altera in alios libros irrepsit, ita quidem ut

»sperassem« uel »reparassem« in epistolae initium, »ualetudinem« paullo post in uerborum ordinem inserta sint.

Omissis ergo his scripturis ad sanandam lectionem codicis P aggrediamur. Qua in re, ne quis dubitet, quin uoci »reparatio« insit significatio restitutionis, haec addo exempla: VI. 1: »uiuat . . . in tua salute paterna reparatio«; X. 14: »ne quid deroget firmitati praecipitata reparatio«; X. 62: »longo interuallo petita a me reparatio«; X. 58, 59, alia huiusmodi; tum Prudent. Cath. 10. 128: »mors haec reparatio uitae est«. De explenda uero lacuna meditatus in altera glossarum integrae lectionis uestigium reperisse mihi uideor; nam »sperassem« illud adeo cum enuntiati sententia et lacunae spatio congruit, ut hanc esse uocem, quae desideretur, non negem. Neque mirum est, quod ipsa haec Symmachi uox cum glossemate »ualetudinem« interpretandi gratia locutioni minus dilucidae »reparationem sperassem« ascripta est. Sic igitur legamus: »Reparationem sperassem iamdiu corpusculi mei, si frui agrorum q. s.«

IV. 62 omnes editt. codices praeter P: »hinc fit, ut suae quisque patriae magistratus meae commendationis opem postulet, gregum tuorum famam secutus. Ea propter summates Antiochensium missi ad mercandas quadrigas iuuari apud te sermonis nostri conciliatione uoluerunt«.

P: ». . . famam secutus eo propterea summatis Anthiocensium q. s.«

Qua in re quamquam lectio uulgata ferri omnino potest, tamen in lectione codicis P ueram tanquam pellucere mihi persuasum est. Videtur enim aut »eo« aut »propterea« glossa esse, quae in archetypo ad ueram scripturam addita inde in proximos libros recepta est. Quae cum retineri non possit, perperam a librariis locus mutatus est in »ea propter«. Sed cum aut »eo« aut »propterea«, ut supra dixi, delendum sit, interpretandi gratia uocem »propterea«, quae magis perspicua est, minus dilucidae »eo« ascriptam esse cogitaui. Nam »eo« idem ualere ac »propterea« et ex ipsius Symmachi et aliorum scriptorum exemplis intelleges, quorum haec propono. Symm. I. 102: »nec te excusare collegis interuentus Alpium potest eo quod iustior no-

bis ad querelam facta est uia, quo tibi ad ueniam causa deterior«. IX. 40: »hoc eo proloquor, ut interuentum meum generalitate commendem«; II. 44; IV. 8; V. 58; VI. 22; VI. 38; VII. 4; VII. 6: »eo scribo« cum eadem significatione ac »propterea scribo«; praeter hos locos uide apud Ciceronem: Diu. II. 20: »frater es: eo uereor«; ad fam. VI. 20: »dederam triduo ante litteras ad te: eo ero breuior«; Liv. XXIII. 19: »nocte et mittebantur et perueniebant: eo custodias hostium fallebant«.

His ita comparatis sic legere te iubeo: ». . . famam secutus. Eo summates Antiochensium q. s.«

III. 3. editt. Iureti I Lectii D: »certe illud spondeo, multa eximietatem tuam coram in eo reperire posse, qnae tacui, nulla ex iis deesse, quae scripsi«.

Editio Froben. »in eo« non habet; editio Schott. pro »in eo« »me« et postea »ex hiis« exhibet.

Editt. Iureti II Scioppii Parei Wingendorp. ». . . multa tuam eximietatem incoram repperire posse, quae tacui, nulla desiderare, quae scripsi«; »incoram« pro »coram in eo« nulla re cogente Iuretus mutauit; »desiderare« num in ullis libris scriptum sit, non liquet.

P: »... multa eximietatem tuam quoram in eo repperire te posse, quae tacui, nulla ex his desideraturum esse, quae scripsi«. Hanc codicis P lectionem uerae proximam dicere non dubito, nam eo ceteris praestat, quod »desideraturum esse« tempus futurum, a uerbo »spondeo« pendens, adest. Atque ad hanc suspicor uulgatam scripturam esse ascriptam, mox uero eius locum occupasse. Neque tamen absunt menda a codicis P lectione, quae corrigamus necesse est, priusquam ad eius auctoritatem locum restituamus; tollendum enim est »te« illud post »repperire« ex suprema huius uocis syllaba ortum; tum »desideraturum« mutandum est in »desideraturam«, quia ad »eximietatem«, quod praecedit, refertur. Iam uero hanc ueram esse scripturam cognouimus: »certe illud spondeo, multa eximietatem tuam coram in eo reperire posse, quae tacui, nulla ex his desideraturam esse, quae scripsi«.

VII. 20. editt. Iureti I Lectii D: »quid hic impositu

aedium uenustatis est! quis situs in plana iactus oculorum!«

edit. Iureti II: ». . . in positu aedium uenustatis est! quis ex edito in plana iactus oculorum!«

editt. Sciopp. Par. Wingend: ». . . uenustatis est! quis situs! quantus ex edito late in plana iactus oculorum«!

P: ». . . uenustatis est! quas situs ex aedito sit in plana iactus oculorum«!

De ceteris libris nihil traditum est, ita ut in dubio sit, utrum in iis, an coniectura usi Iuretus et Scioppius lectiones suas inuenerint. At ex ipsarum uarietate colligi potest, quanta loco insit obscuritas. Praeterea uix tolerandum uidetur, quod bis in illis scripturis idem fere legitur; nam quid noui »quis situs!« in orationem inducit? nonne omnino eandem sententiam ac prius periodi colon: »quid hic in positu q. s.« exprimit? Omittendum ergo hoc est, et a fide incerta ad certam codicis P nos conuertere oportet. Cuius lectionem cum considerarem, animo meo occurrit, quomodo factum sit, ut lectio codicis D decurtata sit; librarius enim ab illo, quod in P »quas situs« legitur, ad »sit in« aberrauit, et quae in medio erant, praeteriit. Neque uero P a corruptione uacuus est, cum »situs« et »sit in« alterum ex altero ortum esse tam manifestum esse uideatur, ut posterius quidem in »situ in« mutare uelim, in priore aliud quoddam latere arbitrer, quo »iactus oculorum« definiatur. Neque nimis a uero aberrare me puto, si »quas situs« illud in »quam suauis« uerto. Quod facillime in hunc modum corrumpi poterat; nam »s« in initio uocis »situs« positum, si bis scriptum est, »quās« et deleta lineola »quas« effecit; et »suauis« omissa littera »a« quam facile in »situs« corripi potuerit, qui scribendi rationem in ueteribus libris usurpatam nouerit, nemo non uidet. Unde hanc nouam scripturam propono: »quid hic in positu aedium uenustatis est! quam suauis ex edito situ in plana iactus oculorum«! »iactus oculorum« poetice pro »conspectus« dictum est.

II. 61 editt. Sciopp. Par. Wingend.: »Vt habitus et crinis indicio est Serapamnon litterarum peritiam pollicetur«:

edit. Iur. II: »Et habitus et crinis indicio Serapam non q. s.«

editt. Iur. I Lectii D: »Et habitus et crinis indicio est Serapamnon q. s.«

P: »Et habitus et crinis indicio est Serapammoℋ litterarum q. s.«

Pro priore »Et«, quod P seruat, »Vt« reponere, a Scioppio scriptum, ne dubites, cum »E« ab alia manu in codice P perperam mutatum esse possit. Aliter comparatum est illud: »Serapamnon uel Serapam non« uulgatae lectionis, »Serapammoℋ« codicis P. Hoc »ℋ« quid sit, perspicuum non est, ita ut suspicer, librarium, cum id ipse in archetypo legere non potuerit, summa religione in suo libro signum illud depinxisse. Sed prius de uulgata lectione dicendum est, et uidendum, num retineri possit. Id quod nego, nam neque Serapamnon« uno uerbo scriptum quidquam est, neque si distinxeris »Serapam non«, sententiae satisfaciet, quia ita pro laude uituperatio fit, quam Symmachus ei dicit, quem fratri suo commendet. At infra legitur: »mihi religio fuit non negare uerba poscenti«; tum unicum exemplum esset, quo summa non urbanitate Symmachum usum esse probaretur, cum hominem quendam in familiarium suorum amicitiam induceret; mira enim sermonis suauitate etiam sibi ignotos, dummodo aliis probati essent, suis commendare solebat. Reiecta igitur scriptura uulgata, lectionem codicis P consideremus: »Serapammoℋ«; in qua cum certum sit nomen eius, quem commendaturus erat, occultum esse, hoc »ℋ« corruptam litteram »n« esse mihi persuasi, postquam in Graecarum litterarum reliquiis, quae papyro inscriptae [1]) in Aegypto inuentae sunt, nomen »Serapammon« uel »Sarapammon« seruatum esse cognoui. Sic ergo locum in integrum restituamus: »Vt habitus et crinis indicio est, Serapammon litterarum peritiam pollicetur«.

---

1) Notices et extraits des manuscrits de la bibliothèque impériale; tome dix-huitième; Paris 1865. p. 231, v. 12. 13. 15. 19, nomen „Sarapammon" legitur; v. 20, p. 429, 5. v. 1: „Serapammon" inuenitur.

II. 57 editt. Iureti I Lectii D: »Praefecti litterae ruperunt otium meum, quae bonae spei sollicita miscebant. Speciatim praesentiam meam per ambiguam poposcerunt. Non differo exspectationem tuam, coactum tractu senatum commoueri; sed et oblationem faciendam scriptis secretioribus indicauit«.

editt. Sciopp. Iureti II: ». . . . per ambiguam poposcerunt q. s.« Mercerus perperam »per ambigua« legi iussit.

P: ». . . per ambiguum . . . . expectationem tuam coactu in tractatu senatum commoneri sed et oblationem faciendam q. s.« »ambiguum« illud unum uerum est, cum assimulando ad »praesentiam meam«, quod praecedit, »ambiguam« natum sit.

Scioppius, quem Pareus et Wingendorpius secuti sunt, sic in notis locum emendare conatus est: »non differo expectationem tuam. collegarum tractatu senatum commoueri sed et q. s.« ac uocem »commoueri« hoc loco aeque ualere ac »conuocare« uult, quod neque aliis neque Symmachianis exemplis confirmat, neque nisi ex solo hoc loco colligit. Sed ne eo quidem opus est, quod »collegarum« pro »coactum« scripsit, nam »cogere senatum« saepissime et optime dici nemo ignorat; recte uero »tractu« editionum in »tractatu« mutauit, quod sic in P quoque legi eoque comprobari supra commemorauimus. Si igitur hoc retinemus: »coactum (in P lenissimo errore corruptum in »coactu in«) tractatu senatum«, de enuntiati uerbo nunc iam quaeritur. »commoueri«, quod in lectione uulgata seruatur, praeter quam falsam Scioppius significationem protulit, uix ullam praebet, quae satisfaciat; nam si animi perturbationem sentis, causam huius rei in proximo tantum demonstrari dico: »sed et oblationem faciendam q. s.«, quod rursus ipsius perturbationis narratio sequitur. Haec uero »sed et q. s.« ita in sermonem inseruntur, ut noui aliquid, cuius antea nondum ratio habita erat, ad tractatam iam materiam afferant; quare effectus eorum praecipi non potuit. Alteram igitur, quam P exhibet lectionem: »commoneri«, melius in locum quadrare contendo. Quod si lau-

daueris, haec simpliciter a Symmacho prodita esse perspicies, senatum tractatu commonitum esse, quamquam desideratur, quod omitti non debebat, de qua re monitus sit. Inde in proximis aliud mendum latere mihi persuasum est, quod sic tollere uelim: »coactum tractatu senatum commoneri et de oblatione facienda scriptis q. s.«; ablatiuum casum in accusatiuum esse mutatum ex scribendi ratione facile intellegitur, quod »et de« in »sed et« corruptum est errori tribuo. Neque uero si hanc lectionem receperimus, ut »commoueri« restituamus eodem iure cogamur; nam fac ut scriptum fuerit: »commoueri et ad oblationem faciendam«, nonne miraris, quod commotus esse senatus ad hanc rem faciendam dicitur, cum et ingenti terrore ob rem affectus sit, et rei obstiterit, et futiliore argumento usus in aliud tempus deliberandam produxerit? Itaque recte sic scriptum esse a Symmacho demonstrasse mihi uideor: »Coactum tractatu senatum commoneri et de oblatione facienda, scriptis secretioribus indicauit«.

V. 76. editt. Iureti I, II Lectii Scioppii D: »Bonoso optimo uiro . . . . . . discussionem pontis ac basilicae nouae praeceptio Augusta mandauit; quod munus fide et uigilantia posset implere, si solus istiusmodi examinis ius haberet. Nam Cyriades C. V. comes et mechanicus . . . . in societatem discussionis admissus saepe . . . . a Bonosi inuestigatione dissentit«.

B: ». . . . . cum Cyriades q. s.«

P· ». . . . pam Cyriades . . . . in societatem discussionis admissus est, saepe q. s.«

Scioppius pro eo, quod uulgo legebatur »nam«, »nunc« scribi iussit, quod a Pareo in editionem receptum est; neque falso sensit inesse uoci »nam« aliquid difficultatis, quod sermonem minus concinnum redderet; praeterea codicum PB auctoritas contra ualet, quamquam etiam ipsorum lectiones mendosae sunt. Qua uero re a ceteris omnibus P differt, hoc est, quod in eo »est« ad »admissus« additur atque sic, quod uulgo participium, uerbum finitum fit. Qua in uia progressuris puto nobis facultatem dari, ut locum sanemus. »cum« codicis B neque uulgatae scripturae

quidquam proficit, neque cum uerbo finito codicis P coniungi potest; »pam« codicis P nihil est. Attamen in quo primum remedii uestigium positum esse cognouimus, ei fortasse in restituenda cetera sententia maxima fides esse attribuenda uidetur. Qua de re ex »pam« facere »postquam« placuit, litterarum quidem specie diuersum, non tamen ita, ut explicandi ratione careat; nam librarius a »p« ad »qu« oculo errans, quod interiacebat, omisit, correptaque uoce »pam« scripsit; atque »postquam« optime ad tempus perfectum »admissus est« quadrat. Sic igitur legendum est: »si solus istiusmodi examinis ius haberet. Postquam Cyriades .... admissus est, saepe ... dissentit«.

III. 55. editt. Iureti I Lectii D: »fames in limine erat, quam .... imperator praeuenit indebitis alieni soli copiis. Iam portum nostrum comperi prima classis salutat; iam securitate saturamur«.

editt. Iureti II Scioppii Parei Wingend: »... praeuenit ingestis alieni soli copiis. Iam portum nostrum complurium prima classis salutat«. Scioppius in suis libris deesse illud »complurium« affirmat.

P: »... praeuenit indebitis alieni soli copiis iam portum nostrum comperi primas classis salutat«. De uoce »indebitis« an »ingestis« scribenda primo loco dicam. Atque cum neque Iuretus neque Scioppius »ingestis« in codicibus legi testentur, hoc magis ex Iureti coniectura quam aliter ortum esse dixerim eoque codicum PD et Lectii scripturam »indebitis« reddi suo loco iubeo. Alio mendo proxima laborant, quae coniectura sanare idem Iuretus uoluisse mihi uidetur; nullo enim librorum testimonio munitus »complurium« pro »comperi« scripsit. Sed haec non placent. Neque tamen quae antea edebatur lectio, ingenuam puto, quia »comperi« illud minus apte cum ui parenthesis, quam uocant, in orationem inseritur. Atque cum ualde dubitassem, quo me uerterem, in eo remedii uestigium positum esse tandem cognoui, quod P non ut ceteri »prima classis« sed »primas classis« exhibet. Hic enim casus accusatiuus significare mihi uidebatur, constructionem accusatiui cum infinitiuo, quae penderet a uerbo »comperi«,

in hac lectione nunc quidem corrupta latere. Unde cum minima uocis »salutat« in »salutare« mutatione restituendum esse Symmachi sermonem sic arbitror: »iam portum nostrum comperi primas classis salutare«. — Gruterum quoque, ut locum emendaret haec coniecisse Lectius annotat: »iam portum nostrum tempori prima classis salutat«, »ut significet iusto tempore classem frumentariam aduentasse«. Sed ne olim quidem haec placebant.

Quibus expositis nunc ad alios locos quibus P aeque ac ceteri corruptus est, corrigendos aggrediar. Atque quem ordinem antea secutus sum, etiam nunc seruabo, ut prius de illis locis, qui glossis deprauati sunt, tum de reliquis uerba faciam.

II. 78. editt. Iureti I Lectii PD: »Pars hominum alii compendiis et quaestibus (P compendii quaestibus) gaudent, me uotiua delectat expensio«.

Iuretus in altera editione ex libidine, ut uidetur, et nullo codicum testimonio munitus sic mutauit: »Pars hominum compendiis et quaestibus gaudent q. s.«, quod proximae editiones probauerunt. At quamquam summo iure redundare aliquid in epistulae initio intellexerunt, illud haud recte excogitatum esse puto; nam quod sustulerunt retinendum est, tollendum quod retinebant. Id enim, cum aut »pars hominum« aut »alii« alteri alterum ascriptum esse interpretandi gratia uideatur, maxime consideremus, utri harum lectionum maior interpretationis uis insit; quam equidem glossema esse dico, nisi forte putatis, quod minus euidens sit magis euidenti explicandi causa additum esse. »pars hominum« autem clariorem hanc notionem reddere quam »alii« commemorare non opus est. Inde sublato omni dubio in hunc modum legam: »Alii compendiis et quaestibus gaudent q. s.«

II. 73. editt. Froben. Iuret. I Lect.: »cape igitur litteras meas, quas ideo libenter emitto, quia religionis tuae uicissim pascor alloquiis. Quae res acuere nos debet ad officia promptiora, ut tibi incommoda foenoris largior usura respondeat«.

editt. Iureti II Scioppii: ». . . promptiora cum tibi in commoda foenoris q. s.«

p²: »promptiora ut tibi in modum foenoris q. s.«

D: »promptiora cum tibi in commodo foenoris«.

edit. Schott.: »quae res acuere debet ad officia promptiora cum tibi in commoda foenoris q. s.«

uu: ». . . acuere debet . . . cum ad in commoda q. s.«

b: »quae res acuere debet«;

PF: »quae res acuere debet . . . . cum tibi in commodi foenoris q. s.«

B: »quae res acuere nos debet«, cetera ut PF.

Primum quaeritur utrum »quae res acuere nos debet« an »quae res acuere debet« melius sit. Atque recte quidem Scioppius ex auctoritate Fuub delendam esse uocem »nos« censuit, ad cuius rei fidem nunc codicis P quoque testimonium accedit. Nam illud »nos« sententiae rationem non habet, immo, quod ad Flauianum Symmachi fratrem pertinet, ipsi Symmacho uel utrique tribuit. Haec uero iusta non esse ex superiore epistulae parte intellegi possunt, cum se ipsum quidem libentissime Symmachus uacare scribendi officio dixerit. Inde Flauianus »acui debet ad officia promptiora« et uox »nos« delenda est. Neque tamen hac ipsa emendatione locum sanauimus, nam obscurum esse non desiit, num reuera ad Flauianum haec admonitio spectet. Minima uero mutatione effici potest, ut Flauianum admonitum esse appareat, ita ut sententiae quam optime satisfiat. Sic ergo legere te iubeo: »quae res acuere te debet ad officia promptiora q. s.«; »te« enim illud a superiore syllaba »re« haustum erat; quod cum deficeret et oratio manca facta esset, interpolandi animus commotus est, ut perperam »nos« adderet.

His ita compositis iam ad posteriorem enuntiati partem accedo, quam sic in PFB seruari, nam ceteros codices minoris esse fidei mox demonstrabimus, supra significaui: »cum tibi in commodi foenoris largior usura respondeat«. Ad mendosam hanc lectionem ex archetypis receptam reliquae et codicum et editionum scripturae, natae e mente librario-

rum et editorum, uidentur esse appositae. Scioppius uero, qui iam pridem uiderat, harum lectionum nulli locum esse dandum, coniectura mederi rei conatus est; haec enim scribi iussit: »cum tibi hinc commodi foenoris largior q. s.«, quod quamquam a Pareo et Wingendorpio laudatum, non tamen mihi satis placet, quia »hinc« illud minus clarum est, ad quid referatur; praeterea cum lenior mutatio, qua utamur, in promptu sit, Scioppianam mittamus. Quare hanc scripturam profero: »cum tibi incommodis foenoris largior usura respondeat«. littera »s« e fine uocis »commodis« excidere potuit, quia »f« uocis »foenoris« sequitur. Ceterum haec optime sic constituta esse sententia loci probat, quae haec est: »Cum ego summo studio ad epistulas tibi scribendas incumbam, te, ut eodem officio in me exequendo fungaris, hortor; quod si feceris, incommoda quae ex frequentioribus epistulis a te mittendis tibi existant, maiore mearum copia compensabuntur«.

II. 57, in eadem epistula, cuius priorem partem supra ope codicis P emendauimus, alia praeterea menda continentur, quorum proxima quidem Susius [1]) sic bene correxit: »quantitas postulata aerarii excessit opulentiam. re cognita uastum silentium cunctis stupor subitus imperauit«, ubi in editionibus et libris manuscriptis antea haec legebantur: »quantitas postulatae rei excessit opulentiam recognitam. uastum q. s.«

Mox haec in omnibus codicibus inueniuntur: »quo longius prodeunte placuit in tempus aliud deliberanda produci, ne omitterentur absentes; quamuis ipse dixerim, Romae aut in proximis positos uel euocari debere uel consuli quorum non debet ob eam cautionem futuram ut statutis ordinis polliceantur adsensum.« Sciopplus locum sic emendare uoluit: ». . . uel consuli reliquorum nomine de oblatione futura ut statutis q. s.«, quod sane haud male diceretur, nisi nimis a tradita litterarum specie recederet. Aliter Susius l. l. locum ad pristinam rationem redigere sibi proposuit, atque satis apte hoc excogi-

1) cf. Susii l. l. III, ubi de hoc loco agitur.

tasse uidetur, uocem »futuram« genere quidem assimulatam esse ad uocem »cautionem«, cum antea uim illius »futurum esse« habuisset, quod a uoce »cautionem« penderet, et ipsum proximam enuntiati partem regeret; qua de causa optimo iure »futurum« scribi iussit. Sed quae praeterea coniectura assecutus est: ». . . uel consuli, longinquorum non debent (sc. collegae) opperiri cautionem (i. e. assertionem) futurum ut q. s.«, minus probanda esse dixerim; perspicuum enim est, »debent« illud uerborum constructionem dirimere, neque satis apparet, nisi ex ipsa Susii mente, syllabae »longin« unde ortae sint. Itaque hoc mittendum est. — At ego, re saepe in animo uoluta, eo perueni, ut sic scribendum esse mihi persuaserim: ». . . uel consuli, quoniam non libet offerre cautionem, futurum ut statutis ordinis polliceantur adsensum«. »quoniam« uocis »quorum« fere speciem habet; »libet« in »debet«, praesertim cum paulo antecedat »debere«, corrumpi posse, nemo infitietur; »offerre cautionem« locutio est iuris consultis ualde usitata (cf. Papiniani illud in Dig. 40. 5. 50).

In fine epistulae »sentiam«, quod Lectius pro eo coniecerat, quod antea legebatur »etiam«, codicis P auctoritate comprobatur.

II. 34 editt. Iureti I Lectii C: »Adornare te reditum, quod sacra deae matris appeterent, arbitrabar; tu inde unus iter promoues nosque et patriam post tergum relinquis«.

D: ». . . tu inde unius iter promoues q. s.«

FB: ». . . tu inda unius iter promoues q. s.«

P, codex Regius Salmasii, codex quidam Iureti: »tu enda unius iter promoues«.

editt. Iureti II Scioppii: ». . . tu indeuotus« iter promoues«; quod coniectura Iureti, neque satis bona, uidetur natum esse; nam »indeuotus« ab illorum temporum iuris consultis homo non in deos, sed in leges magistratusque neglegens dicebatur (uide in Iustinian. Cod. 8. 55. 35: »Donator non solum indeuotus, sed etiam impius«); Scioppius uero cum aliter loco mederi conaretur, ineptiorem

etiam quam Iuretus lectionem proposuit: »tu in diei unius iter promoues«, quod sententia omnino caret. Mox Salmasius (in exercitt. Plinian. ad Solini polyhist. p. 43 a F) haec exhibuit: »regiae bibliothecae codex scribit: »tu enda unius«; in aliis »tu inda unius«; scribe: »tu in Daunios iter promoues«; quod mira quadam litterarum similitudine excogitatum ex eo tamen laborat, quod nusquam praeterea a Symmacho commemoratos esse Daunios inueni, cum saepius »Apulia, Apuli, Apulus« uerba usurpata esse ex his locis colligere liceat: VII. 126; X. 13; — IX. 19; — VI, 12; X. 58; quare »Daunios« illud coniectura inferre in epistulam dubitauerim. Hoc uero bene a Salmasio repertum esse iudico, nomen cuiusdem loci in corruptis uerbis latere. Quam rem cum mecum reputarem, in oppidi Lauinii nomen incidi, ubi praedium Symmacho fuisse ex VII. 26 cognoscitur. Codicis P igitur maxime fidem secutus, sic restituere enuntiatum uelim: »tu uero Lauinium iter promoues«; nam »o« et »l« in libris manuscriptis saepe in »d« coaluisse Scioppius (de arte critica p. 45) docet, neque quemquam fugit. Correcto ergo ex »enda« »erola«, prius »u« latere in eo uocis »tu« contendo; »unius« uero uix discrepare a »uinium« dilucidum est. Neue mireris, quod »patria« hoc loco urbs Roma dicitur, nam et oppida »patriae« sunt; cuius rei exempla habes II. 32 et apud Ciceronem Par. 1. 2: »cuius cum patriam Prienem cepisset hostis«.

III. 18 editt. omnes praeter Iureti II: »nam officia, si plerumque deseras, occupatio est; si semper obliuionis crimen putes. hoc si fieri q. s.«

PFBD: »... occupatio est; si semper obliuio transcrimen putas. hoc si q. s.«

b: »... occupationem si semper obliuionis crimen putas«;

uu: »... occupationem si semper obliuionis crimen puto«.

Corruptissimum hunc locum esse uix opus est commemorare; neque dubito uulgatam lectionem, quam in editionibus seruari uidimus, coniecturam dicere praue ex deterio-

rum codicum uestigiis excogitatam. Quae uero antehac uiri docti bonos codices secuti ad sanandum locum attulerunt, haud equidem probauerim, nam Iuretus in editione altera sic scripsit: ». . . occupatio est, si semper obliuio crimen: hoc si fieri q. s.«; Scioppius haec in notis protulit: ». . . occupatio est, si semper obliuio, fraus, crimen. Putas hoc si q. q.« ; neque enim tollendis uerbis dubiis, ut Iuretus fecit, sed corrigendis rei medearis, neque quod Scioppius scribi iussit; »obliuio, fraus, crimen« Symmachi sermonem in integrum restituit, quia primum non intellegitur, quid fraudis sit, quod litteras mittere aliquis desierit; tum in eo offendo, quod Scioppius uocem »putas« in proximi enuntiati initio, quocum nihil ei est, collocauit; immo si sic legitur, ipsum illud colon obscuritate laborat. Quod idem, quominus recipiatur, coniecturae Susii haec laudantis obstat: »si semper obliuio transit in crimen. Putas hoc si q. s.« Ac praeterea alia in illa lectione sunt, quae minus probauerim; diuellitur enim sic sententiae constructio, qua duo cola sibi aequalia opponuntur: »si plerumque deseras, occupatio est, si semper, obliuio«; Susius uero, cum »obliuio« ad proximam sententiam et uerbum »transit« traxisset, pulchram hanc dicendi rationem sustulit.

Mihi autem proximam epistulae partem consideranti alia emendandi uia in mentem uenit. Nam ex eo, quod sequitur: »hoc si fieri posset, tacerem; illudis ergo patientiae meae?« illud perspexisse mihi uideor, in corruptis uerbis latere aliquid, quod ipse Symmachus ex mente Gregorii, ad quem epistula data est, sibi obiecerit, quod proximis uerbis defenderit. Et hoc quidem impatientiae uim habuisse, proximam Symmachi disputationem contemplatus, quae haec est, existimo: »quod ex tua mente mihi obieci, si fieri posset, tacerem; quod cum non faciam, tu recte illud non esse uerum iudicas; at si nihilominus scribendi officium neglegis, id eam ob causam facere uideris, quod obiurgationem illam mihi ipsi illatam irritam esse sensisti; illudis ergo patientiae meae?« Hanc impatientiae notionem postquam desiderari intelleximus, ad ipsum locum restituendum animum aduertamus; qua in re perficienda non nisi

optimorum codicum lectionem opus est considerare, hanc dico: »si semper obliuio transcrimen putas. hoc si q. s.« post uocem »obliuio« prius enuntiatum finem habere uidetur. Reliqua sic emendare uelim: »si semper obliuio. irati sermonem putas? hoc si fieri posset tacerem«; quod maxime cum litterarum specie congruit et sententiam commode explet.

III. 57 edit. Schott.: Ultro in me arguo culpam silentii, si quando usum officii mei quaelibet dierum interualla remorantur. Nulla enim purgatio suppetit locum. Multum enim familiaritatis publico actui frequenter interseris«.

edit. Froben: ». . . suppetit locum multum familiaritatis publico actu frequenter intersero«.

editt. Iureti I (ex D sic restituta) Lectii: ». . . suppetit quin iocum multum familiaritatis publico actui frequenter interseras«.

reliquae editt.: ». . . suppetit quin cultum familiaritatis publico actui frequenter interseram«.

B: ». . . suppetit iocum multum familiaritatis«.

uu: ». . . suppetit mihi ut tibi cum multum familiaritatis«. quomodo reliquam enuntiati partem Buu habeant, silentio Scioppius praeterit.

P: ». . . suppetit iocum multum familiaritatis publico actui frequenter interseras«.

Priorem huius loci partem P et B aequalem corruptamque ostendunt, neque codicum uu lectio probari potest. Copia uero scripturarum, quae in editionibus laudantur, unde ortae sint, dilucidum non est. Nam Iureti illud »ex uetere codice (D) restitutum« tantum abest, ut haec in D inueniri nos doceat, ut Iureti, uestigia tantum codicis D secuti, coniectura esse uideatur. Restat igitur, ut de utraque Iureti ratione emendandi uerba faciamus. »quin« illud, quamquam post uerbum »suppetit« satis bene quadrare uix negari potest, tamen quia non nisi ex Iureti ingenio habere originem uidetur, non ita premendum est, ut si leniore aliqua mutatione uti possis, propter »quin« facere hoc dubites. Atque equidem, quod ad loci sententiam attinet, »ni« illud

aeque bonum, quod ad litterarum speciem, melius esse existimo, quippe quod a superiore syllaba »tit« distingui uix potuerit. Iam uero »iocum multum familiaritatis« profecto non sic a Symmacho scriptum esse affirmauerim; neque enim uerborum »iocus multus« coniunctio praeterea apud hunc scriptorem inuenitur, neque »iocus familiaritatis« per se satis bene dicitur; id quod cum pridem Iuretus intellexisset, in altera editione sic mutauit: »quin cultum familiaritatis q. s.« His uero ita comparatis in eo maxime offendo, quod litterarum speciei rationem minus habitam esse suspicor; quomodo enim »iocum« illud, nisi aliud uerbum in eo lateat, in uersum irrepserit, haud facile exponitur; unde non est, cur »iocum« deleamus. Sublata uero littera »i« in initio huius uocis posita, reliquam partem ex »ocium« esse correptam arbitror. Quo restituto et ex »multum« facto »et cultum« priorem enuntiati partem in hunc modum legere non iam dubito: »nulla enim purgatio suppetit ni otium et cultum familiaritatis publico actui q. s.«; »otium« enim »actui«, »cultus familiaritatis« oppositum est »publico actui«. Ac ne dubium supersit, quin »cultus familiaritatis« locutio Symmacho usitata fuerit, haec addo exempla: IV. 42; VII. 99; IX. 46, ubi »cultus amicitiae« usurpatum esse reperies. »interseram« legendum esse pro »interseris« uel »intersero« uel »interseras«, quae in codicibus ostenduntur, ipsa sententia probat.

III. 28: editt. Lectii Iureti I, omnes libri: »Desine igitur animum nostrum epistolarum seueritate mereri, cum rebus potius quam uerbis spectetur affectio«.

editt. Iureti II Scioppii: »seueritate metiri cum q. s.«

Gruteri coniectura a Scioppio probata, a Pareo et Wingendorpio recepta: »epistolarum seritate metiri cum q. s.«

Lectii coniectura: »epistolarum celeritate metiri cum q. s.«

Lectionem uulgatam recte non se habere manifestum est; nam quod Lectius affirmat, »mereri« uim ac significationem uocis »adipisci« habere, neque ex ipsa re, neque

ex exemplis, quae affert IV. 27; VII. 9; intellegitur; quodsi fieri posset, non tamen diceres: »desine animum nostrum epistolarum seueritate adipisci«. Alia scriptura »seueritate metiri« ex eo laborat, quod ad Symmachi epistulas necessario seueritas illa referenda est, cum ex initio litterarum, eam potius in Mariniani, ad quem Symmachus scripsit, epistula contineri cognosces: »Expectatae mihi tuae litterae contigerunt, quibus promptior ad uicissitudinem reddar officii«. Lectii uero coniecturam eo recipere recuso, quod non de celeritate epistularum, sed de Symmachi in mittendis scriptis neglegentia sermo est. Quam denique Gruterus lectionem protulit, sententia quidem optime in locum quadrat, minus ipsis uocibus; nam »seritas« illud non nisi hoc uno loco inuenitur, et ad analogiam, quae dicitur, uocis »raritas« a »raro« deriuatae ex uoce »sero« fictum est. Neque uero iusserim ex similitudine aliorum uerborum noua fingi, ut loco alicui corrupto opera eorum medearis.

Mihi aliud in mentem uenit, quo enuntiatum corrigerem: »Desine igitur animum nostrum epistularum seueritate mordere, cum rebus q. s.« Haec si laudaueris, seueritatem recte Mariniano tribui intelleges. Atque locutionem illam »animum mordere aliqua re« saepenumero apud Symmachum adhibitam esse reperies: II. 76: »tuta igitur omnia atque secura sunt, quae animum tuum iure mordebant«; VI. 51: »hoc tantum mordet animum«, VIII. 6: »gratae quidem semper tuae litterae nunc legentis animum momorderunt«; VIII. 70: »me hactenus rerum tuarum amaritudo mordebat«; IX. 117: »mordebar commemoratione irriti beneficii«. — Id uero ne quis mihi obiciat, minus concinnas eo fieri sententiae partes, quia illud: »cum rebus potius quam uerbis spectetur affectio« ad explicandum superius enuntiatum non pertineat; quid eo opus est, cum tota epistula ad hanc tantum rem spectet, Symmachum, quamuis in litteris reddendis desidiorem, minime tamen amicitiae oblitum esse, sed ex aliis rebus silentii causam esse repetendam?

II. 13 editt. Iureti I Lectii libri omnes: »Verum haec recens sanctio de fideicommissis et codicillorum commodis

ab optimo principe in aeternum repudiatis tantum claritudine egreditur lucem superiorum, quantum augustius est regendis quam subditis modum ponere«. Iuretus in altera editione, sequentibus Scioppio Pareo Wingendorpio, ex coniectura haec exhibet: »... quantum augustius est regenti sibi quam subditis modum ponere«; non mala quidem quod ad sententiam attinet; ceterum illud non bene perspexisse mihi uidetur, inesse aliquid in priore uocis »regendis« parte, quod talem fere uim et significationem, qualem »modus« habeat, ex quo chiasmi, quem uocant, species in sermone restituatur. Neque Scioppio assentiar, qui praeter hanc lectionem aliam proposuit: »regendis cupiditatibus quam subditis modum ponere«, quoniam ita facillime quidem corrupta sanarentur, si quamlibet uocem addere liceret. Equidem haec conicio: »...quantum augustius est, legem sibi quam subditis modum ponere«; »legem ponere« apud Horatium (in satiris I. 3. 105) inuenies.

IV. 32 editt. uulgatae libri omnes: »Sollicitabo te arentibus uerbis scriptis tuis quae amore (P: et amore) et iudicio me legere necesse est«.

Iureti edit. II: »sollicitabo rorantibus uerbis scripta tua quae amore q. s.«

Scioppius coniecit: »solicitabo tamen arentibus uerbis scripta istius quem amore q. s.«

uu: »solicitabo te arentibus uerbis scriptis tuis quam amore q. s.

Primum de eis, qui emendare locum conati sunt, dicendum est; quorum Iuretum frustra noua uerba in sermonis ordinem inseruisse dixerim, cum »arentibus« illud codicum optime in locum quadret. Scioppium uero in eo errasse arbitror, quod scripta illa, quae desiderare Symmachus uidetur, ab alio quodam, quam a Protadio confecta esse simulat; nam »istius« quomodo ad ipsum Protadium pertinere possit, non intellego; neque tamen cuiusuis alius illa scripta esse ex eo apparet, quod antea Symmachus dixerat: »haurias licet monumenta priscorum et ipse paginis ediscenda committas«. Etenim ipse in hac epistula raro legendo frui se praedicat; in fine uero litterarum haec leguntur:

»quae amore et iudicio me legere necesse est, ut compensem illorum damna, quae neglego«. Qua de causa Scioppii coniectura recipi non potest. Quae cum ita sint, cum Symmachus ipsa illa Protadii scripta ex eo petat, sic optime locum sanari putaui: »sollicitabo te arentibus uerbis ut scripta tribuas, quae et amore et iudicio me legere necesse est«. Atque facile quidem factum est ut haec ita corrupta sint, ut codicum lectionem praebeant; nam librarii oculus a »ta« ad »tri« aberrauit, et mutato »st« in »b« »scriptistuis« illud effecit. Restat, ut illud lecturis persuadeam, recte a me »ut« ante »scripta« insertum esse; quodsi litterarum speciem aspexerint, a praecedenti syllaba »bis« haustum esse »ut« concedent, quia statim post »ut« »scripta« legebatur. Locutionem illam »scripta tribuere« absolute positam, cum non additum sit, cui tribuantur, et aliis apud Symmachum et his locis inuenimus: V. 30: »tribuant scripta«; VIII. 4: »primas litteras sponte tribuisti«.

IV. 46 libri omnes editt. uulgatae: »legationem illis Campanorum prouincialium commune mandauit habent oranda iustitia negotium, personas mea cura commendat«. Lectius scribendum proposuit: »... mandauit. abundat iustitia negotium q. s.« sed hoc nimis ad libidinem praeter litterarum speciem excogitatum est; Iuretus in edit. I emendare uoluit: »habent orandae iustitiae negotium q. s.«, quod propter dicendi obscuritatem non placet; (in Iureti I et Lectii editt. »personas meas« legitur); in editt. II sic posuit: »mandauit. Acceleranda iustitia q. s.« at cur iustitia acceleranda sit, neque usquam apparet, neque ipse Iuretus docet, qui alium ueterem codicem: »horum iustitia« exhibere notauit. — His igitur omnibus ad emendandum locum minus aptis, denuo ad librorum lectionem confugiendum est. Quam considerans in illo offendi, quod non additum est, qua de re legatio missa sit; desiderauerim enim post »mandauit« enuntiatum quoddam, quo haec significata sint. Et ideo latere tale aliquid in uerbis: »habent oranda« affirmauerim, quod sic restitui iubeo: »... mandauit ut intimarent oranda. Institia negotium q. s.«; syllabae enim »uit« »ut« »inti« adeo eandem fere spe-

ciem habent, ut librarius a prima ad ultimam oculo aberrans, quae intererant, omiserit. Posita uero post »oranda« interpunctione illud quoque colon: »iustitia negotium, personas mea cura commendat« chiasmi, qui dicitur, forma pulcherrime expressum retinebis.

II. 16. editt. Iureti I, II Lectii D: »Si necdum filii mei Nicasii laudabiles mores et honestum institutum didicisti, accipe pro eo locupletissimum uadimonium meum promotum uirtute et humanitate conspicuum, cui iamdiu Praenatalis familiaritate sociatur.«

F edit. Sciopp: ». . . . cui iamdiu natalis familiaritate sociatur;«

Bb non habent »pro eo;« B cetera ut F exhibet.

uu: »pro naturali familiaritate.«

P: accipe pro eo loc. uad. m. promotum uirt. et hum. consp. cui iamdiu p̃notalis familiaritate sociatur.« Recte Scioppius intellexit, nomen esse »Promotum« eius uiri, ad quem lib. III. ep. 74—80 missae sint. Errare uero eos, qui »Praenatalis« nomen hominis alicuius esse probent, ex eo apparet, quod et uox et nomen inauditum est. Iam uero quid sit »praenatalis« uel »natalis« uel »praenotalis« quaeritur. Atque primum quidem uidendum est, quid hoc loco desideretur. Quod fuisse, quod definiatur uox »familiaritate« affirmare audeo. Susii autem coniectura (uide l. l.): »iamdiutina talis familiaritate q. s.« eo non placet, quod me fugit, quid »talis« illud sibi uelit; nam et omnino redundat et orationem, inter »diutina« et »familiaritate« positum, remoratur. Quos uero locos affert, ut hunc uocis »talis« usum exemplis comprobet: V. 30: »perlatori talium litterarum benignus arride;« III. 49: »dignus plane talis uiri testimonio« hi non in hunc locum quadrant.

Inde aliud remedium quaerendum est. Promotus, quem »locupletissimum uadimonium« pro filio Symmachus appellat, amicitiam patri maxime probatam cum filio Nicasio fecisse uidetur; qua re nisus sic optime locum emendari putabam: »accipe pro eo locupletissimum uadimonium meum Promotum uirtute et humanitate conspicuum, cui iamdiu probabili

familiaritate sociatur;« littera »s« in fine uocis »praenatalis« posita ex sequenti »f«, cum in libris utrique eadem fere species sit, facta est. Ceterum »probabilis« hac significatione saepissime a Symmacho adhibitum esse, haec exempla docebunt: II. 80: »probabilis amicus«; II. 91: »probabile petitionis genus«; III. 17: »probabiles causae«; V. 40: »probabiles uiri«; V. 60: »uir probabilis«; VI. 50: »probabilis discessio«; alia.

II. 30. editt. Iureti I Lectii PD: »quin etiam consilii a te imprudentis accusor ob amissam. recte agis.«

nonnulli Iureti libri: ». . . ob admissa recte agis.«

F: ». . . ob amisan recte agis«;

B: ». . . ob amiss. recte agis«;

editt. Iureti II Scioppii Par. Wingend: »quin etiam consilii imprudentis a te arguor ob amissa. recte agis.«

»arguor« cum in ullo codice sic legi non confirmatum sit, locum cedat illi »accusor« librorum PD. »amissa« nisi ex »admissa« factum certam fidem non habet; si coniectura Iureti est, non laudo. Nam cum optimi codices in addenda littera »m« (in F »n«; de B propter decurtatam uerbi speciem iudicium facere non licet) consentiant, tenendam esse censeo, praesertim cum corrigendi loci ansam proxima praebeant. »recte« enim illud uocem »rem« hausisse mihi persuasum est, quam cum in sermonem receperis, non est cur cetera mutes. »amissa res« uero praedium dicitur, quo defraudatus erat Symmachus; praecesserat enim: »Quo animo acceperim Siciliense negotium uulneratum, facile coniectas.« Sic ergo legas: »quin etiam consilii a te imprudentis accusor ob amissam rem. recte agis.«

I. 46. editt. Iur. I Lect. BD: »Statuas etiam recepistis iisdem paene populi acclamationibus, quibus amiseratis. rides et libet ut rideas affuisti plura desino, ne qui strictim meliora detexui in minoribus uidear immorari.«

F: »...amiseratis risidet libet ut rideas afuisti plura desino ne quae strictim meliora detexui amoris uidear immorari.«

b. uu: »amiseratis ride libet ut rideas plura q. s.«

edit. Schott: ». . . ridere libet ut rideas plura desino ne quae strictim meliora detexui amori uidear immorari.«

editt. Iur. II Sciopp. Par. Wing: »...rides? et libet rideas affatim. plura desino, ne qui strictim meliora detexui in minoribus uidear immorari.«

Iure editores »ut« illud post »libet« positum ferri hoc loco non posse cogitauerunt. Neque tamen, ut illi fecerunt, omnino sustulerim, sed permutatione uerborum falso loco insertum esse dixerim; nam si legis: »rides et ut libet rideas«, omnia recte se habent. Quod »affuisti« a Iureto in »affatim« mutatum est, improbo; neque enim »affatim« quidquam proficit, quo sententia loci illustretur, neque noui quidquam in enuntiatum inducit, ita ut, cum ne litterarum quidem species cum »affuisti« satis congruat, coniectura male excogitata habenda sit. Iam uero, quid pro »affuisti« ipse poscat locus, quaeritur, atque primum quidem quid risum Agorii Praetextati, ad quem Symmachus scripsit, mouere potuerit. Illud dico, quod in superiore epistulae parte Symmachus narrauerat: »Statuas etiam recepistis iisdem paene populi acclamationibus quibus amiseratis.« Scilicet hanc affectus mobilitatem et leuitatem populi, qui aequa laetitia ueterum deorum sacra tolli et rursus instaurari aspexerat, hanc fuisse dico, quae amarum uiri sapientis et constantis risum et maxime eius, qui, sicut Symmachus eiusque amici, intacta fide ueteres deos colebat, optimo iure concitarit. Inde progressus sic locum in integrum restituere conatus sum: »rides et ut libet rideas. affectum nosti. plura desino q. s.«; »affectus« uoci uim caritatis esse et ex aliis scriptoribus et ex ipso Symmacho demonstrare licet; uide enim VI. 38: »spontaneus affectus«; VII. 55, VII. 97, V. 8: »affectus mutuus«; III. 64: »affectus religionis«; VI. 17: »affectus rudis«; quod ad litterarum speciem attinet, facile »affectum nosti« secundum scripturae Langobardicae morem in »affuisti« corripi poterat. Reliqua enuntiati pars ad B et D auctoritatem corrigenda est: »ne qui strictim meliora detexui in minoribus uidear immorari.« Ceterum similem illi »rides et ut libet ri-

deas« locutionem reperi apud Plinium in epist. I. 6: »Ridebis et licet rideas«; sed cum neque in ceteris Plinii neque in Ciceronis epistulis aliam eiusmodi inuenissem, certam dicendi formulam esse non arbitratus sum.

III. 11. editt. Iureti II Sciopp. Par. Wingendorp: »Non silebo alterum munus opusculi tui, quo prisca cuiusque reipublicae ex libro Graeco in Latium (Par. et Wingend: Latinum) transtulisti.«

p[1] uel p[3]: »rempublicam transtulisti.«

editt. Iuret. I, Lectii, Froben: quo priscam rempublicam ciuitatis huius . . . . in Latinum.«

u: »quo priscam rempublicam ciuesque eius.«

u edit. princeps: »quo priscam rempublicam aeuique huius.«

Bb edit. Schott: »quo priscam rempublicam cuiusque huius ex libro Graeco in Latinum transtulisti.«

PD: »quo priscam rempublicam cuiusque huius ex libro Graeco in Latium transtulisti.«

Scioppius haec in annotationibus habet: »uidendum ne deprauata sit uox cuiuscuius pro cuiusque uel cuiuscumque. ex ea enim facile fieri potuit: cuiusque huius itemque ciuesque eius.«

Ex ista lectionum uarietate, si haec aliaue eligenda esset, quae in sermonem reciperetur, ualde, quam probaremus, dubium esset, nisi plurima scribarum errori, nonnulla interpolationi et coniecturae tribuenda esse sciremus. Etenim illa: »ciuitatis huius« et »aeuique huius« et »ciuesque huius« falsa totius loci interpretatione ex corrupta iam pridem scriptura esse nata manifestum est. Ad quam rem demonstrandam, quae proxima in eadem epistula secuntur, consideremus: »arma ab Samnitibus, insignia a Tuscis . . . . sumpseramus. tuus nobis post haec addidit labor peregrina monumenta, quae iam sui nesciunt. nunc uere ciuitas nostra populorum omnium parens facta est; docere enim potest singulos antiquitates suorum.« Non igitur de Romanorum prisca republica ac monumentis, sed de aliorum gentium in opusculo illo Naucellii, ad quem Symmachus

sripsit, actum est; illae uero quas modo dixi lectiones de Romana tantum republica Symmachum loquentem faciunt. Quas postquam reiecimus de emendandi ratione, quam et Iuretus et Scioppius protulernnt, pauca addamus. Atque Iuretus quidem, (cuius lectionem primo loco commemoraui,) quem nimium mutandi studium in grauissimos saepe errores rapuit, liberiore uerborum transpositione sanare locum frustra conatus est. Scioppius uero, qui cuiuscuius pro cuiusque huius profert, minus apte hoc excogitasse eo mihi potissimum uidetur, quod rempublicam alicuius hominis dici uix probem; nam etiam mihi in mentem uenerat scribere: »rempublicam cuiusque hominis«; quod postea illa consideratione permotus omisi, quamquam artissime ad litterarum speciem in P Bb D traditam accedit. In ipsa autem horum libororum lectione latere aliud cognoui, quod ad pristinam rationem Symmachi sermonem redigeret. Itaque in hunc modum scribo: »quo priscam rempublicam cuiusque gentis ex libro Graeco q. s.«; nam »g« littera post cuiusq., ut in scriptura Langobardica saepissime haec uox inuenitur, facillime excidit, et »h« sexcentis locis falso aut omittitur aut ponitur.

Superest, ut de lectione »Latium« an »Latinum« ponenda certiores fiamus. Quod utrumque optimis libris fultum esse cum supra iam cognouimus, tum defendi quoque posse uidebimus. Nam illud codicum Bb: »ex libro Graeco in Latinum transtulisti« optime dici multis et Ciceronis et Quintiliani et Plinii exemplis confirmatur. Neque nisi in eo haesi, num »transferre rempublicam in Latinum« ferri possit; quod negarim. Altera uero P D codicum scriptura: »ex libro Graeco in Latium transtulisti« eo fortasse laborat, quod duo illa sententiae commata: »ex libro Graeco« et »in Latium« non ita sibi respondeant. At etsi haec minus concinne dicta sint, id tamen, qua Symmachus florida et rhetorica dicendi ratione utitur, praeclare expressum est: »priscam rempublicam cuiusque gentis in Latium esse translatam«; Latium enim patria est et Romanorum et linguae Latinae. Qua ex re optime intelleguntur, quae secuntur: »nunc uere ciuitas nostra populorum omnium parens

facta est«, quia omnes gentes opera Naucellii complexa est. Totum igitur locum sic restituo: »non silebo alterum munus opusculi tui, quo priscam rempublicam cuiusque gentis ex libro Graeco in Latium transtulisti.« Ceterum Symmacho, cum proxima scriberet: »arma a Samnitibus, insignia ab Tuscis . . . sumpseramus«, locus Sallustianus obuersatus esse animo uidetur; nam Sall. Cat. 51. 38 in oratione Caesaris legitur: »Maiores nostri . . . arma atque tela militaria ab Samnitibus, insignia magistratuum ab Tuscis pleraque sumpserunt.«

Illud uero quid fuerit Naucellii opusculum si quaeritur, uix certi aliquid affirmare possumus. Nam et ipsius Naucellii nomen inter cetera, quae litteris innotuerunt, prorsus ignotum est, neque ex Symmachi oratione colligi potest, quem librum Graecum in Latinum sermonem transtulerit. Id tantum esse manifestum uidetur, de uariis gentium rebus publicis, quales olim formae earum et genera fuerint, et de legibus et institutis ueteribus actum fuisse in libello illo Graeco. At quamquam et apud recentiores scriptores et in ipsis harum rerum monumentis quaesiui, num certum quendam dicere scriptorem, quem Naucellius adhibuisset, in promptu esset, non reperi, quem praeter ceteros commemorarem. Eorum uero, qui potissimum apud Graecos de talibus rebus scripserint, primum locum occupat Aristoteles, qui cum *πολιτικῶν* octo libros confecit, tum in illo opere, quod *πολιτεῖαι πόλεων* dicitur, de centum duo de sexaginta ciuitatum et Graecarum et barbararum formis ac generibus disseruit. Cuius operis compendium ab Heraclide quodam factum ipsumque postea decurtatum, in quo de quadraginta tribus Aristotelis ciuitatibus disputatum est, ad nos uenit. Praeter hos de uariarum ciuitatum legibus primus quidem Plato egit, qui duodecim libros »*νόμοι*« conscripsit; proximus discipulus Aristotelis clarissimus Theophrastus, qui uiginti quatuor »*περὶ νόμων*« libros composuit, ad cuius exemplum, quem supremo loco laudabo, Callimachus Alexandrinus »*νόμους*« scripsit.

Sed qui sicut Herodotus historiam ueterum populorum enarauerat, uel qui in modum Cephalionis »*παντο-*

δαπὰς ἱστορίας«, et Aeliani »ποικίλην ἱστορίαν« conscripserant, in hac epistula intellectos esse a Symmacho uix opinar, quia nisi de »prisca republica cuiusque gentis« nihil dictum est. Sed quinque illorum, quos supra commemoraui, utrum ullus fuerit, quem Naucellius transtulerit, an illius quoque opus sicut ipsius Naucellii omnino deperditum sit, in medio relinquere cogor.

Octauius Clason de uita sua.

Natus sum Hamburgi a. d. VII Kal. Ianuarias anni h. s. XXXXIIII patre Ioanne matre Henrietta e gente Vles, quam morte sex annis abhinc ereptam mihi esse doleo; fidei addictus sum euangelicae.

Sex menses nato parentes mecum in Danorum fines, qui Iuetland dicuntur, migrauerunt, ubi primos sex annos ruri uersatus iterum cum meis sedem mutaui Bonnamque me contuli. Priuatim initio hac in urbe litterarum primordiis imbutus autumno anni h. s. LVII tertiae gymnasii Bonnensis classi ascriptus sum. Maturitatis uero testimonio munitus autumno anni LXII inter almae huius academiae ciues receptus in studia philologica historicaque incubui. Per semestre scholis interfui Cll. V.V. Iahn Loebell Ritschl Schopen Springer von Sybel, cuius beniuolentia me in seminarium historicum statim recepit; postea Goettingam adii, ubi iisdem studiis diligentiam omnem operamque nauaui. Qua in re magnopere adiutum me esse laeto gratoque animo confiteor et scholis et humanitate Cll. V.V. Curtii Pernice Ribbentrop Sauppe Waitz, cuius comitate factum est, ut seminarii historici per tria semestria sodalis essem. Inde postquam autumno anni LXIV Bonnam redii, ciuitatem Borussicam consecutus per annum stipendia merui. Quo facto iterum me studiis dedi. At exorto inter illustrissimum et augustissimum regem nostrum atque Austriae imperatorem bello, cum in primi agminis equitatu pugnis ad Hühnerwasser Münchengrätz Königgrätz factis interfuissem et usque in Vindobonae conspectum processissem, non nisi exacta aestate Bonnam reuersus denuo litteris uacaui. Postquam Goettinga in patriam remigraui, et iterum Iahn von Sybel V.V. Cll. et Heimsoeth V. Cl. audiui.

Virorum autem cum quos supra dixi omnes tum Iahn Perthes PP. PP. OO. VV. Cll. optime de me meritorum nunquam memoriam grato pioque animo non prosequar.

Theses controuersae.

I. Thuc. I. 7. 2: »αἱ δὲ παλαιαὶ διὰ τὴν λῃστείαν ἐπὶ πολὺ ἀντισχοῦσαι ἀπὸ θαλάσσης μᾶλλον ᾠκίσθησαν« ex optimis codicibus restituendum esse.

II. Thuc. II. 68. 7 sic scripsisse: οἱ δ' Ἀμφίλοχοι . . . . ἀφικομένου τε Φορμίωνος κ. τ. λ.

III. Livii XXI. 49. 7 et 8: »Extemplo idcirco a praetore ad ciuitates missi legati tribunique« emendandum esse.

IV. Liv. XXV. 13. 10: »militarem ordinem immixtis agrestibus externis sublatum« legendum esse.

V. Editiones Symmachi epistularum ceteras Scioppiana longe superari.

VI. Intra duas sublationes non amplius duas breues syllabas apud ueteres fuisse.

VII. Pugnam inter Chlodouechum, Francorum regem, et Alamannos non ad Tulpiacum sed in dextra Rheni ripa prope Argentoratum esse commissam.

VIII. Epistulam Theoderici, Gothorum regis, ad Chlodouechum missam (cf. Cassiod. uar. II. 41), antequam rex Francorum Remis baptizatus sit, scriptam fuisse.

IX. Thoringos intra inferiorem Rhenum Mosamque sedes habuisse.

X. Errare Suetonium ubi (Claud. c. 17) imperatorem Claudium nullam cum Britannis pugnam commisisse prodit.

XI. Vespasianum, qui postea imperator factus est, anno post Chr. n. XLVII ex Britannia Romam rediisse.

XII. Praeceptores in litteris tractandis ne disserendi spinis pueros taedio afficiant.



Theses controuersae.

I. Thuc. I. 7. 2: »αἱ δὲ παλαιαὶ διὰ τὴν λῃστείαν ἐπὶ πολὺ ἀντισχοῦσαι ἀπὸ θαλάσσης μᾶλλον ᾠκίσθησαν« ex optimis codicibus restituendum esse.

II. Thuc. II. 68. 7 sic scripsisse: οἱ δ' Ἀμφίλοχοι . . . . ἀφικομένου τε Φορμίωνος κ. τ. λ.

III. Livii XXI. 49. 7 et 8: »Extemplo idcirco a praetore ad ciuitates missi legati tribunique« emendandum esse.

IV. Liv. XXV. 13. 10: »militarem ordinem immixtis agrestibus externis sublatum« legendum esse.

V. Editiones Symmachi epistularum ceteras Scioppiana longe superari.

VI. Intra duas sublationes non amplius duas breues syllabas apud ueteres fuisse.

VII. Pugnam inter Chlodouechum, Francorum regem, et Alamannos non ad Tulpiacum sed in dextra Rheni ripa prope Argentoratum esse commissam.

VIII. Epistulam Theoderici, Gothorum regis, ad Chlodouechum missam (cf. Cassiod. uar. II. 41), antequam rex Francorum Remis baptizatus sit, scriptam fuisse.

IX. Thoringos intra inferiorem Rhenum Mosamque sedes habuisse.

X. Errare Suetonium ubi (Claud. c. 17) imperatorem Claudium nullam cum Britannis pugnam commisisse prodit.

XI. Vespasianum, qui postea imperator factus est, anno post Chr. n. XLVII ex Britannia Romam rediisse.

XII. Praeceptores in litteris tractandis ne disserendi spinis pueros taedio afficiant.



